

einustellen
G
W

40

CONFESSIO MARTYRUM
DE
MYSTERIO SA-
CROSANCTAE
TRINITATIS,

Veterum monumentis
succincte illustrata

Per

M. PAULUM BORNAGIUM,
Filcaviens. Pannonium.

WITTENBERGAE,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad Typogr.
M. DCCI.

B36

CONFESSIO MARTYRUM
DE
MYSTERIO SA-
CRO SANCTAE
TRINITATIS

Veterum monumentis
tuccinse illustrata
Per

M. PAULUM BORNAGIUM,
Fiscarium Pannoniæ

WITTENBERGAE,
Typis Martini Schultze Acad. Typogr.
M. DCCL.

INCLYTAE. REIPUBLICAE. WRA-
TISLAVIENSIS.

ILLUSTRI. PRAE-
SIDI.

CAETERISQUE GENEROSIS.
MAXIME STRENUIS. NOBILISSIMIS.
AMPLISSIMIS.

PROCERIBUS.

PATRIBUS. PATRIAE.
PATRIBUS. OMNIUM.
BONORUM.

LITERARUM. NUTRITO-
RIBUS. MUNIFICENTISSIMIS.

DOMINIS.

MAECENATIBUS.

ATQVE STUDIORUM.

SUORUM PROMOTORIBUS.

OPTIMIS. MAXIMIS.

LEVES. HASCE. PAGELLAS.

INDULGENTIAE. EORUM. SESE. ENIXE. COM-
MENDATURUS.

RELIGIOSO. CULTU.

AC.

VOTO. OMNIGENAE. PROSPERITATIS.

HUMILLIME. OFFERT.

OBSEQUIOSISSIMUS. CLIENS.

M. PAULUS. BORNAGIUS.

BONORUM.
LITERARUM. NUTRITO.

RIBUS. MUNIFICENTISSIMIS.

DOMINIS.

MAECENATIBUS.



M



tuet
mat
con
riter
felic
Ecc
nim
lum
gen
Par
tati
Con
pra
que
cun
illi
S
cruc





CONFESSIO MARTYRUM
DE
 MYSTERIO SACRO SAN-
 CTÆ TRINITATIS.

PROOEMIUM.

Veritas equidem Cœlestis nullo externo colore indiget, quo irradiata exsplendescat potentius, mentesque hominum illuminet: sed sola sibi sufficit, sola divinitatis suæ axioma vindicat atque tuetur. Nihilominus tamen Orthodoxorum cœtus, & amat & veneratur Primitivæ Ecclesiæ testimonia, ut ejus consensu adjuta, fidem solo verbo DEI innixam, internis pariter testimoniis, & externis profanæ eruditionis Symbolis feliciter asserat. Maxime venerabilis Martyrum chorus Ecclesiæ militantis oculos ad se convertere potest. Vix enim ipse DEUS in his Terris pulchrius habuit Spectaculum, quam cum vidit fortissimos Athletas, pro gloria Unigeniti sui, cum Pardis & Leonibus decertare. Hæc erant Paria DEO digna: ad quæ retrospicit, eo alacrius antiquitati intenta Ecclesia, quo libentius simplici Veritati litat, & Confessionibus Martyrum in illustri monumento positis, præcipue autem divino afflatu agitatæ Viris assentitur atque subscribit. Quare & nos utilissimum & maxime jucundum arbitramur in Fidem Martyrum inquirere, quam illi Sanguinis impendio, & exquisitissima passî supplicia, cruenta morte asseruerunt. Primum dogma de Mysterio

A

Sacro

Sacro Sanctæ Trinitatis est, quo veluti fundamento innititur Structura Religionis Catholicæ & à Judæorum & Gentilium pravitate disjungitur. Hòc enim, inquit Hilarius, Synagoga non credit, hoc Philosophia non capit, sola Ecclesia intelligit. De S. S. itaque Trinitate differere & reconditi hujò & stupendi Mysterii interpretes, & enarratores idoneos, gloriosos Martyres adducere, non forte ex Martyrologiis vel Menologiis: sed in dubiis Veterum Scriptorum monumentis animo induximus. Magnum quidem Testium Veritatis Catalogum nos inire jubet antiquitas: At paucos hic producemus, qui genus tractationis breve instituimus & ea modo consecramur testimonia, quibus de consensu totius Ecclesiæ liquido constare potest. Nihilominus tamen spero futurum, ut appareat hinc, Impios, falso antiquitatis ambire testimonia: Nos verò Apostolorum prementes vestigia, Virorum ævo Apostolico proximorum adjuvari testimonio, testesque tot ferè Veritatis numerare quot nostrum propemodum sunt, qui Ducem Christum in militanti hac sequimur Ecclesia. Hoc autem nos triplici consequi posse confidemus Sectione, quarum I. ager de Confessione Martyrum in Foro, II. de Confessione Martyrum in Cryptis & recessibus Subterraneis quorsum fuga delapsi inter preces & Cantica clanculum agebant, III. de Confessione Martyrum in Cruciatibus & Supplicio. Quam operam exequi cum exordior Pater Ter Optime Maxime, Numen Tuum supplex adoro ut conatus hos, auxilio præsentissimo sublevare, & ita dirigere velis, ut vergant in nominis Tui gloriam.


AMEN.

CAPUT I

☉ (3) ☉
CAPUT I.

CONFESSIO MARTYRUM
DE
DEO TRINUNO IN FORO.

§. I.

 Um in Primitiva Ecclesia Vexationes Gentilium crudeliter sævirent, Christianorum cœtus quadrifariam dividebatur: In Martyres, Confessores Stantes & Lapsos. Horum quilibet ordinum, suas iterum Classes & peculiare patiebatur distinctiones. Mittimus cæteros omnes & in Martyrum solummodo Fidem inquirimus: Hos enim reliqui, Lapsos excipio, ceu fortissimos Duces, cœlestis militiæ signa moventes sequebantur, & ceu Grex Pastores nunquam deserebant. Antiquis *χειρόφοροι* & *θεόφοροι μαρτυρες* dicebantur, teste *Eusebio LVIII. H. E. C. 10.* ad indicandam tesseram militarem Ducis cui militabant. Christum enim gerebant in pectore, eademque fide uniti, medias inter hostium turmas constanter adharebant. Non hic prolixè in vocis Origines inquiram utpote notissimas: Martyres enim dicuntur sensu Ecclesiastico qui mactati sunt *διὰ τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ* & *διὰ τὴν μαρτυρίαν* *Apocalyps. VI. 9.* Nec etiam quid discriminis intersit inter *ἰσομαρτυρα* *μεγαλομαρτυρα* & *καλλιμαρτυρα* definire animus est: Hac enim in re *Gallonius*, *Sagittarius*, *Josua Arndius* alii que sat prolixi fuerunt. Sufficiet monuisse, nos hic univèrsim intelligere, Sacros illos Heroes, qui Sanguinis impendio tanquam testimonii sui signaculo DEI Religionisque causam asseruerunt. *μαρτυρίαν* eorum de DEO Trinuno dicimus Confessionem non temerè: sed imitatione antiquitatis, quæ professionem fidei & Symbolum illud in quod baptizati sumus Confessionis insignire nomine affolet.

A 2

§. II. Nunc

Nunc sequamur tantisper beatissimos Martyres ad Aulas Imperatorum & Palatia Gentilium, ibidemque Confessiones eorum attento animo observemus. Tacite quidem me admonet *Emanuel à Schellstrate*, Martyres inter cœtus Gentilium Sanctissimum hoc mysterium non temere prodere; siquidem divinorum reticentia dogmatum à Christo instituta, & per Apostolos Ecclesiæ demandata, sollicitè prohibeat, ne Sanctuarium profanis recludatur. Verum bono me facit esse animo notatū dignissimum exemplum Polycarpi, qui medius inter Judæos & Gentiles in Rogo collocatus, non verebatur prodere hoc mysterium, & præter omnem necessitatem palam edisserere: Quod Martyribus etiam Seculo III, quo Disciplina Arcani, prudenti Ecclesiæ Consilio introducebatur, usū venisse, locupletissimus mihi autor est, post *Salmasium* in *Exercitationibus ad Ann. Baronii, Cl. Vir. VVilhelm. Ernestus. Tenzelius* in *Exerc. Select. P. II. passim*, ex Græcis & Latinis fontibus, Disciplinam arcani, non tam circa dogmata, quam circa ritus celandos universim adhibitam fuisse contra *Schellstratium* copiose edisserens: Adeo nos hæc morari non possunt, quin cum *Iustino Martyre* ad Aulam Imperatoris sollicito gressu contendamus. Audiamus quæso eum Antonino Pio Sacro Senatui & universo Populo Romano pro invisa Christianorum gente, quæ passim innoxia sine discrimine plectebatur, supplicantem: & quænam Martyrum de DEO Confessio fuerit clarissime edocebimur. Ita enim in *Apologia* 2. ait: *Eatemur nos à talibus putariis Diis alienos esse, ne utiquam autem ab illo verissimo DEO & Iustitia Temperantia ac ceterarum virtutum Patre, omnisque malitia experte, sed & illum & Filium qui ab eo venit, & hæc tam nos, tum bonorum eique obsequentium & similium Angelorum, Exercitum docuit, & Spiritum denique illum Propheticum colimus & adoramus, cum verbis & factis honorantes & discere cupientibus prout edocti sumus*

sumus sine invidia tradentes. Et rursus. Quod quidem Arbei non simus, cum opificem huius universi colamus, quis sana mentis non fateatur? Demonstrabimus etiam quod Christum qui horum omnium Doctor exitit, & sub Pontio Pilato temporibus Tiberii Caesaris Procuratore, crucifixus est, Filium illius veri DEI esse didicerimus eumque secundo loco, & Spiritum Propheticum tertio ordine habeamus & recte honoremus.

§. III.

Non existimandum est, hic sententiam Iustini nobis solummodo exhiberi, & hanc Apologiam, privata Philosophi autoritate Principi oblatam esse: Sed magnifice de illa sentiendum est, cum Confessionem Christianorum exhibeat, quæ, ut commodius Augusto exhiberetur à Philosopho quasi Interprete concipiebatur: Confitetur autem nomine Christianorum Verissimum DEUM, i. e. Ens tale, quod habeat Essentiam suæ naturæ convenientem: Spiritum omnis compositionis expertem: qualem esse DEUM, non Christiana solum fides, sed naturalis etiam persuadet ratio; quæ id esse DEO tribuendum admonet, quod melius est ac perfectius. Nec immerito Verissimi DEI nomen, DEO competere ait: Est enim DEUS, ut Nazianzenus oratione 38. ait *πέλαγος τῆς σοφίας*, qui ipsum esse universe infiniteque non tantum ejus formam quandam possidet. Illud enim vere est τὸ ὄν, quod est ἀγέννητον & interminabile; quæ vero gignuntur & intereunt, nec unquam revera sunt: Si quidem id tantum revera est, quod perennat, quod autem cessat, Entis nomen non nisi Analogice sustinet. Præterea hunc Verissimum DEUM unum esse Iustinus docet: Trinitarum enim errorem, cum Socino Martyri nostri impingere velle invere cundum fere esse dixerim, quippe qui toto Libro de *Monarchia* contra vanam *πολυθεότητα* opinionem & Idololatriam, unius DEI veritatem memorante *Εusebio* & *Hieronymo* tam ex divinis Scripturæ S. oraculis quam

demonstratione Poëtica docuit. Quod opus hodiernum adhuc posidemus, priori tamen & meliori parte truncatum. Superest enim tantum posterior, nihilominus satis efficax ad abstergendas Justini aspersas calumnias; utpote quo, ex *Æschilo, Philomene & Orpheo aliisque unum verum DEUM*, explosa omni essentiarum inter se realiter distinctarum multitudine, adstruit. Imo allegata loca, unum esse DEUM fortiter evincunt. Objectum adorationis alibi Justinus solum DEUM, ex Evangelio Matthæi C. IV. ponit. Hic autem dicit Christianos *σέβουσαι* & προσκυνεῖν. Hunc ergo existimavit esse unum verum DEUM; unum *ἑσία*, alias non requireret cultum simplicem & æqualem adorationis gloriam, trinum autem *ὑποστάσει*, cæteroquin incassum asseruisse videretur concessam *τάξι & χάριτι*. Qua non ponit aliquam prioritatem dignitatis, dum ait Christianos *σέβουσαι* & προσκυνεῖν τὸν πατέρα, & τὸν παρ' αὐτῶ ἐλθόντα υἱὸν, & τὸ πνεῦμα προφητικόν. Non prioritatem temporis, quoniam Christum Patris æterni filium nominat. Est autem ab omni æternitate in essentia divina Pater, ergo ab æterno fœcundus sit necesse est: quomodo enim salva *σχέσει* Patrem sine filio conciperes: Sed solam prioritatem ordinis adstruit, quum in primo loco Patrem, secundo Filium, tertio Spiritum Sanctum habet.

§. IV.

Mirum quantum in hac Martyribus adscribenda Confessione me confirmat Athenagoræ Philosophi Atheniensis *πρεσβεία* ad M. Aur. Antonium & Aurel. Comodum suscepta Ita namq; habet p. 76. seqq. *Non igitur impii sumus, qui ἀγέννητον & αἰδίον credimus. Credimus & Filium primam genituram Patris, & c. & ipsum illum, qui operatur in iis, qui prophetias loquuntur Spir. S. propaginem dicimus esse DEI, defluentem & redeuntem veluti radium Solis.* Post pauca. *Quis igitur nos dicentes DEUM Patrem & Filium DEUM*

DEUM, & Spiritum S. ac demonstrantes eorum in unitate potentiam, & in ordine distributionem, non miretur, qui audierit vocari impios. Et post bene multa. DEUM asserimus, & Filium ipsius Verbum & Spiritum S. tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium & Spiritum S. actu verò & essentia unum, Filius enim Patria mens Verbum & Sapientia est, & ab eodem Spiritus ut Lumen ab igne profluit. Illustre hoc est fidei testimonium ætatis illius, & plane ὁμοψήφου Catholicæ fidei, quod nos in doctrina de essentia & operibus divinis publica Christianorum Confessione comprobata egregie corroborat. Discimus hinc modum, quomodo Ecclesia primis seculis proposuerit interdum hoc mysterium. Personæ enim & ὑποστάσεις nomina, circa Concilii Nicæni tempora, usu Ecclesiastico recepta, tunc alium ut plurimum sensum importabant. Persona enim vel habitum externum vel potestatem significabat: Hypostasis autem indiscriminatim mox pro ὁσία mox vice προσώπου fumebatur. Quare initio Græci vocabulum Personæ odio Sabellianismi respuebant; videbantur enim illis Latini non distinctionem realem, sed tantum ratione muneris & officii inter Patrem & Filium & Spiritum S. agnoscere: Latini autem à nomenclatura hypostaseos metu Arianismi abhorrebant, quod omnis Græcorum profanorum Schola distinctionem inter ὑπόστασιν & ὁσίαν ignoraret. Composita tamen res est, in Concilio Alexandrino, ubi audita utrorumque sana mente studio Magni Athanasii eo res deducta est, ut positis controversiis pro Orthodoxis sese invicem agnoscerent, & idem Græcis per ὑπόστασιν quod Latinis per Personam indigiteretur. Quamvis autem hæc Conciliatio quam Majores admiserant, posteris Latinis displicere videretur, teste Augustino L. 5. C. 8. de Trinitate, factum tamen est cura Hieronymi, ut homines ἐπι τῆς λεξιολογίας φιλονεικῶντες non amplius audirentur. Carebat itaque horum vocum usu, primorum Seculorum antiquitas, nihilominus tamen

tamen apte mysterium hoc tremendum exprimebat. Athanagoras noster essentiam DEI actu dicit unam, & Patrem, Filium & Spiritum S. intercedere ενωσιw ita tamen ut αυτων δυναμις maneat in confusa. Est enim ut inquit B. Calovius ad b. l. in Confess. Martyrum Patri potentia generandi filium, Filio cum Patre potentia spirandi Spiritum S. Spiritui S. potentia procedendi. Ne verò aliqua prioritas vel temporis vel dignitatis concipiatur constituit τάξιw, in τάξει autem διαίρεσιw ut realem Personarum distinctionem retineat salvam.

§. V.

Διαίρεσιw hanc inter Personas realem diligenter inculcabant Veteres: Siquidem tantum abest, ut Unitatem DEI impediatur, reale Personarum discrimen, quin potius ad id potissimum conferat, ut sit DEUS numero entitativo unus & Ens omnium simplicissimum. Tangit hanc rem Petavius T. I. L. II. C. IV. Dog. Eccl. & ex Athanasio illustrat. Quod nisi inquit tanta Personas interesset distinctio aut si unica tantum esset Persona DEI, in qua intelligentia ac Voluntatis Operationes inessent mera ac simplices, que substantivum nullum ut vocant terminum h. e. hypostasin nullam prodicerent, non jam unus, neque simplex foret, sed compositus DEUS &c. Luculenter id Athanasius adstruit Oratione V. contra Arianos: Quod nisi Substantia foret Sapientia, & subsistens ratio, & extans Filius: Sed simpliciter Sapientia & ratio & Filius in Patre; esset Pater ipse compositus, ex Sapientia & ratione sive Verbo &c. Et enim si quid re ipsa distinctum & non sola notione cogitationeque nostra divinam ad substantiam adiungitur, eo ipso simplex esse desinit, fitque quiddam compositum ex substantia & qualitate ista vel proprietate. At verò Persona tres eadem & simplicissima constant substantia; nec nisi extandi modo differunt. Itaque Pater hoc ipsum quod est manens Pater & DEUS, substantie identitate & unitate nature cum eo quod à se procedit verbo, inexplicabili quodam modo copulatur, ut Cyrillus ait. Quo fit

fit ut sine ulla compositione simplex sit DEUS. Quia ne proprietates Personarum cum substantia, neque Personæ tres secum invicem compositam rem ullam faciunt. Huc usque Petavius. Hoc est illud Græcorum Theologorum sermone vulgatum mysterium Unitæ ut vocant & distinctæ Theologiæ, de quo proluxa est Dionysii Disputatio Libro de Divinis nominibus C. 2. quodq; Petavius studio brevibus tradidisse videtur ut Lectorem in stupore quodam & admiratione derelinqueret. Et fateor præter opinionem hæc cuiquam contingere posse: Nam impossibile videtur ex Διαίρεσις & prima specie incongrua argumentandi ratio, frequentata tamen est Veteribus & ex generationis spirationisq; æternæ conditione deducta. Recte modo observetur, unius in Filio, Patre & Spiritu S. divinitatis mysterium, naturam nativitatis consummare, & spirationis æternæ conditionem, quæ utraque fit cum conjuncto principio. Idcirco enim Filius, quia ex DEO, DEI Filius nascitur, naturam etiam in se simplicissimam DEI gignentis exhibet: Et Spiritus S. quoniam à Patre & Filio, DEUS Spiritus S. spiratur unum illum verum DEUM refert, ex cujus spiritualitate Unitas ex Unitate simplicitas resultat. Non ergo officit simplicitati Trinitas, quia inter tres Personas est Διαίρεσις, realitatis scilicet ut in Scholis loquimur minoris; qua sublata, necessum est admittas compositionem ut supra demonstravit Petavius. Quare Athenagoras diligenter quidem distinctionem realem urget, nihilominus tamen illibatam conservat τῆς ὁσίας ἑνωσιν. Qua in re eleganter ipsi convenit cum Justino qui Patrem cum Filio ἐν δευτέρῃ χάριτι Spiritum Propheticum ἐν τρίτῃ τάξει, simplici adorationis gloria, ut unum verum DEUM veneratur. Uterque autem religiose assurgit divinis in Scriptura factis oraculis, quæ tres testes in Cœlis, & hos tres unum esse 1. Job. V. docet. Si quæ sunt, quæ Obelisco notanda in Athenagora, quæque

B

Martyri

indigna esse videntur laxiori significato sumenda vel etiam *συγκαταβάσει* Primitivæ Ecclesiæ usitata excusanda sunt, de qua vide *Theodorum Meierum in recondita veteris Ecclesiæ Theologia* & *Melchiorum Zeidlerum de gemino docendi Veterum modo*. Consule quoque *B. Danhavv. in Christeide* p. 932. ubi Athenagoram à Pseudherminia Bellarmini & Paralogifmis Chamieri absolvit: Interdum tamen occurrunt adhuc quædam, quod fatemur, quæ sunt veluti veruæ in eximia pulchritudinis facie.

§. VI.

Hactenus orthodoxe de essentia, Personarum numero, & distinctione Athenagoras, nunc dispiciendum restat, quænam *γνωριστὰ σεμνεία* hypostasibus essentiæ divinæ attribuerit. Patrem I. C. vocat *ἀγέννητον*, non male, etsi hæc vox Arianorum *πρῶτον σοιχίου* blasphemiam fuerit, & propugnaculum quasi, ex quo impressionem in Catholicum dogma fecerunt. Memorat namque *Epiphanius Heresi* 76. Aëtium XLVII. argumenta ex hac voce construxisse, quæ *Nicasæ L. V. C. 39. ad XXXVI* redegit. At in Athenagora nihil habet incommodi, sed *σχέσι* modo ad infert ad Personam Filii, cui omnia præter *ἀγεννησάν* Patris communicata sunt, & subsistentiam Patris peculiari gnomismate differre facit à subsistentia Filii. Filium Athenagoras *γέννημα τῆ πατρός* nominat, ut doceat, æternæ generationis hanc esse conditionem, ut quod ea producitur, non diversam à producente naturam habeat, sed eandem ob quam ei simile sit & æquale. Fieri enim non potest inquit *Epiphanius Heresi* 76. *ut qui gignit dissimilem inæqualemque sibi gignat: Nam neque γέννημα quercus vinum dicitur*. Spiritum S. vocat *ἀπόρροια τῆ θεῆς* propter æternam à Patre & Filio processionem. Ubi observes contra recentiores Græcos, Patrem una cum Filio principium Spiritus S. poni, qualia exempla plura ex antiquis Patribus collegit *Forbesius in Instructioibus Historico-Theologicis* L. I.

C.6. Dogma etenim de processione Spiritus S. à solo Patre, non solum cum Scripturis; Sed & cum sana antiquitate pugnat. Primus illud concepit *Theodoretus*, incaute cum aliis fovit *Damasenus*, infeliciter tandem exclusit *Photius*, qui aperta contentione in Catholicum dogma invecus est. Vide erroris originem & progressum apud *Petavium* in D.E.T. II. L.VII. C.1.

§. VII.

Tempo mihi hic & de Confessione Martyrum coram Tribunali Gentilium facta, plura addere desisto; Quam Aristidis & Quadrati Apologia, de quibus scriptorum fide dignorum facile colligi possent Symbola, hæc ulterius prosequendi mihi suppeditarent copiam. Antequam verò ad alia pergam, non possum quin commemorem ex hac coram Gentilibus facta Confessione sæpius evenisse, ut in Rescriptis Principum aliorumque Gentilium Commentariis Christianorum DEI mentio injiceretur. Ita Plinius Trajano scribens, Christianos refert statò die ante Lucem convenire, ut Christo quasi DEO suo Carmen canant. Ita Antoninus Imperator in Epistola ad Proconsules Asiæ, unius simplicis Christianorum DEI mentionem injicit. Omnium autem clarissimum est testimonium *Luciani Samosatensis*, qui in *Dialogo Philopatris*: jura, inquit, DEUM altere regnantem, magnum æthereum æternum, Filium Patris & Spiritum S. ex Patre procedentem. Unum ex tribus & ex uno tria. Socinus ad ista verba quasi attonitus profitetur, se nihil firmitus & evidentius in tota antiquitate invenisse, quo mysterium Trinitatis, prout hodie docetur, etiam antiquitus assertum fuisse, comprobari possit. In *Defensione Animadvers. in Prælecl. Coll. Posnaniens. T. II. Oper. p. 698.* scribit: Nec verò nobis quicquam hæcenus legere contigit, quod trini istius DEI à Christianis recepti atque culti fidei facere videatur magis, quam que ex *Dialogo*, qui *Philopatris* inscribitur & inter *Luciani* opera numeratur ad id

probandum affert Genebrardus. Non enim hæc Luciani fomni-
antis sunt, sed morem initiandi Profelytas, Christianas &
dogma cui *Neo Phytæ* fidem suam alligare debeant serio re-
cententis. Quæ omnia etsi de Autore Dialogi adhuc dis-
ceptetur, quodque unicum ne plane nihil dixisse, videat-
tur Socinus, præterdit, eo majus pondus habent, quod cum
fana antiquitate conveniant, quæ iisdem propemodum
Verbis, Unum in tribus & tria in uno religiose colere doc-
cet.

CAPUT II.

CONFESSIO MARTYRUM
IN CHORO.

§. I.

QUamvis confessione unius DEI, Statoris & Conserva-
toris rerum omnium, Christiani Persecutiones, de-
clinare conarentur, sæpius tamen Voto exciderunt, ingra-
vescentibus nihilominus Vexationibus, queis sine discrimi-
mine innocentissimus quisque plestebatur. Quomodo e-
nim à sanguine & cædibus abstinuissent, qui cruentos Deos
Martem & Bellonam colebant? Quomodo rapinas &
fraudes coërcuissent, qui Mercurii furta noverant, docen-
tis non fraudis esse decipere, sed astutiæ. Pii itaque Christi
cultores omni spe dejecti, in abdita subterraneorum Cry-
ptarum ad ita penetrare necessum habebant ut atrocitatem
injustæ tyrannidis, & culpam, temere accitæ mortis, amo-
hrentur. Comitemur quæso illos ad abdita hæc silentia, &
medias etiam inter sepulchrorum tenebras fidem illorum
clarius elucescentem videbimus, & jubar splendidius vi-
brantem, quam decantata illa Romanorum Ignium mi-
racula, Candelas perpetuo lucentes: Hæ enim ad primam
aëris irruptionem extinguuntur; illa autem eò clarius ef-
fulge-

fulgebít, quo magis è remotæ antiquitatis tenebris in propatulum producetur.

§. II.

Non verò animus nobis est ex Picturis Sarcophagorum, & insculptis notis Catacombarum tabulis, Mysterium hoc Sacro Sanctum adstruere; Etsi meminerim factitatum hoc esse à *Paulo Aringho P. II. R. S. L. V. C. VI.* Sed amabilem piorum Concentum, quo adversam sortem in recessibus subterraneis, inter singultus & lachrymas emollire quærebant, considerabimus, ut nobis de fide illorum, quam de DEO tenuerunt liquido constet. Eusebius L. V. H. E. Cap. 25. ex Syngrammate Libri Anonymi, contra Artemonis hæresin scripti, fragmentum nobis conservavit longe utilissimum, quo recensetur antiquitus varios hymnos in Ecclesia compositos fuisse, quibus Christi Deitas celebrabatur. *Quot sunt hymni & Cantica, ab initio à fidelibus fratribus scripta, quæ Christum DEI verbum tanquam DEUM celebrant & laudant.* Ejusmodi est Hymnus ille Clementis Alexandrini, qui exhibetur in Operibus ejus paulo ante Libros Stromatum. Ejusmodi sunt, illi duo quos in Bibliis Polyglottis Briani Waltoni studio editis legimus T. VI. post collationem LXX. interpretum, & Editionis Romanæ cum Veneta, folio ultimo. Ejusmodi itidem, quos exhibet Jacobus Usserius in Addit. ad Diss. de Symbolis. Nos ad illustrandam Confessionem Martyrum duos hic exhibebimus; Primum quidem descriptum ex Bibliis Anglicanis, quorsum è Codice Alexandrino, per Theclam Martyrem descripto, & à Cyrillo Lucare Carolo II. Regi Angliæ donato, translatus est. Ita autem habet.

Δόξα

Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῶ ,
 Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη,
 Ἐν ἀνθρώποις, εὐδοκία.
 Ἀνῆμέν σε ,
 Ἐυλογῶμεν σε,
 Προσκυνῶμεν σε ,
 Δοξολογῶμεν σε,
 Ευχαριστῶμεν σοι,
 Διὰ τὴν μεγάλην σὺ δόξαν,
 Κύριε βασιλεῦ ,
 Ἐπεράνιε ,
 Θεὲ πατὴρ παντοκράτωρ,
 Κύριε υἱὲ μονογενῆ,
 Ἰησοῦ χριστέ ,
 Καὶ ἅγιον Πνεῦμα,
 Κύριε ὁ θεός ,
 Ὁ ἀμνὸς τῶ θεοῦ ,
 Ὁ υἱὸς τῶ Πατρὸς ,
 Ὁ ἀῤῥων τὰς ἀμαρτίας τῶ κόσμου,
 Ἐλέησον ἡμᾶς ,
 Ὁ ἀῤῥων τὰς ἀμαρτίας τῶ κόσμου,
 Ἐλέησον ἡμᾶς ,
 Πρόσδεξαί τὴν δέησιν ἡμῶν.
 Ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τῶ Πατρὸς,
 Ἐλέησον ἡμᾶς.
 Ὅτι σὺ εἶ μόνος ἅγιος,
 Σὺ εἶ μόνος Κύριος

Ἰησοῦς



✿ (15) ✿
Ἰησοῦς Χριστὸς,
Εἰς δόξαν Θεοῦ Πατρὸς
Αμήν.

§. III.

Merito quidem *Dallaus L. IX. de cultibus Religiosis C. VII. Stepbanum* Durantem explodit qui hymnum hunc *L. II. de ritibus Ecclesie C. 14.* Pseudo Clementis fretus autoritate ab ipsis Apostolis profectum esse contendit: Norunt enim Eruditi quid de Autore harum Constitutionum sentiendum sit. Nihilominus tamen de antiquitate ejus hinc clarissime constat, cum communi eruditorum suffragio Constitutiones hæc, ritus Ecclesie inclinante seculo secundo, & tertio incipiente usitatos contineant, & seculo tertio conscriptæ sint. Licet non ausim accedere iis, qui Telesphorum Autorem hujus hymni faciunt, cum Telesphori Decretales & Pontificale Damasinum sint hypobolimæ unde hæc Scriptores sequiorum temporum hausisse videntur. Certum tamen est, esse eum antiquissimum, utpote cujus mentionem quoque injicit Athanasius, & Virgini mane decantandum commendat *Tr. de Virginitat. circa finem.* Jure itaque suo hymnum hunc ad æram Martyrum referimus, utpote ab antiquissimis memoratum, & magni semper in omni antiquitate habitum, ex quo Canticum illud Evcharisticum TE DEUM laudamus, successu temporis expressum esse eleganter evicit Cl. Tenzelius in *Diff. Select. Ex. X.* quemque B. Lutherus adeo magni fecit, ut eum Germanico idiomati donaret. Is enim est quem diebus Dominicis & Festis in Ecclesiis solemus decantare: *Allein Gott in der Höh sey Ehr.*

§. IV.

Hymno Ἑωθινῷ adjungo ex Ufferio ἐσπερινόν, cujus antiquitas perinde jam dudum explorata & ex *Basilii Libro de Spiritu*

Spiritu S. ad Amphiloebium C. 29 asserta est. Beneficium Vespertini Luminis non silentio suscipiebant Martyres, sed statim ut apparuit, gratias egerunt Conditori rerum omnium pie canentes: *Ὡς ἰλαρὸν ἀγίας δόξης ἀθανάτη Πατὴρ, ἑρανὴς, μακάρι· Ἰησοῦ Χριστῆ: λεθόντες ἐπὶ τῆ ἡλίου δύσῃ, ἰδόντες Ὡς ἐσπερινὸν ἤμνημεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα θεῶν. Ἄξιον εἶ ἐν πᾶσι καιροῖς ἡμνεῖσθαι Φωναῖς ὁσίας υἱὸς Θεῶν ζῶντι ὁ διδύς. Διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει.*

Autor hujus hymni antiquitus credebatur Athenogenes ut patet ex Basilio, quare Stephanus le Moyene T. II. Variorum Sacrorum, etsi existimaverit, commode tribui posse Hyppolitoy Martyri, quoniam in laterculo Paschali, (qui adhuc num in marmorea tabula affervari dicitur in Bibliotheca Vaticana quemq; Scaliger in Batavis & post eum alii typis vulgarunt) Hypposito adscribantur *ἀδὰ ἐἰς πάσας τὰς ἑραφὰς* non tamen ausus est quicquam definire, sed non intercedo ait, quo minus Athenogenes hymni istius genuinus Parens agnoscat. Verum ipse Basilius rem in dubio relinquit, & de autore, sibi non constare, dicit, hymnum tamen hunc, antiquissimas illas voces Lucernariæ gratiarum actionis appellat, & non semel propter venerandam jam suo tempore canitiem laudat. Notes autem quod porro Basilius refert, Athenogenem, Clementi Alexandrino Synchronum, & sub Severo Imperatore Martyrio consumatum, cum ad rogam ductus fuisset, alium hymnum in laudem individuae Trinitatis decantavisse: Ex quo Basilius firmiter de Orthodoxa Patrum fide in Mysterio Trinitatis concludit. Nobis sufficit & hunc & superiorem æram Martyrum vidiisse, & non fuisse hymnos *ἰδιωτικὰς*, quales vebant Patres Concilii Laodiceni; utpote ab hominibus imperitis in laudem Christi compositos; Sed qui in conventibus sacris Christianorum svari modulamine decantati fuerint. Vid. Zimmermanni Analect. p. 302. Posteriores Prudentius, ut alius quis Autor, notissimis Jambis expres-

fit :

fit: O Lux beata Trinitas: Ipse etiam Megalander no-
ster eum in Linguam Germanicam traduxit: **Der du**
bist Drey in Einigkeit.

§. V.

Non difficile foret eadem quæ superius ex Apologiis,
etiam ex his Canticis demonstrare: Quoniam tamen
breuitatem sectamur, misis cæteris, hic considerationi
nominum trium Personarum vacabimus. Obserues e-
nim, Patris, Filii & Spiritus S. nomina prudenti Ecclesiæ
Confilio præ cæteris maxime frequentata fuisse anti-
quitus. Hæretici enim nomina hæc subdole reticebant,
quare Orthodoxi creberrimo usu illa inculcanda esse,
existimabant. Fere eadem fabula luditur cum hodie-
nis Antitrinitariis, quod ex inspectione Bibliothecæ il-
lorum observari potest: *Crellius raro, Wolzogenius rarius,*
rarisime Socinus, Christum μονόγεγον υἱὸν τῆς θεῆς Unigenitū
Filium DEI sponte sua appellant, utpote ad cuius nomi-
nis prolationem, stupore quodam corripuntur. Fate-
tur Socinus singularem plane esse & inuisitatem Scripturæ loquen-
di rationem in hac phrasi Tr. de DEO, Christo, & Spiritu S. Cujus rei causam non aliam habent, quam olim Ariani, de
quibus Gregorius Nyssenus L. I. contra Eunom. scribit: retic-
uisse illos hæc nomina, ne nimirum vel appellatione i-
sta, naturæ statim æqualitatem proderent. Qui enim,
Filium cogitat, confestim sibi concipit imaginem Patris,
quoniam generatio productionem notat ad sui similitu-
dinem. Jam concipe Tibi Patrem, & disces quænam,
imago illius sit: Pater est κύριος, βασιλεὺς ἐπιφανής, θεὸς
παντοκράτορ, est ἀθάνατος: Hæc oportet etiam esse in ima-
gine, ut reuera qui filium videt, videat etiam Patrem.
Patris itaque & Filii appellationem magni semper duxit
Christiana antiquitas eamque cæteris omnibus longe

C

ante-



anteposuit. Dignissima hæc sunt DEOnomina, utpote
 cui primario, Patrem & Filium esse convenit. Dabo res
 hujus interpretem Magnum *Athanasium* qui *Oratione 2. con-*
tra Arianos negat inter homines dari proprie Patrem vel
 Filium, quoniam idem fiat Pater, qui fuit Filius. *Verum*
in divinitate ait, non sic accidit. Non enim DEUS est, ut homo.
Nam neque Pater ex Patre est altero. Ideo nec eum gignit, qui sit
futurus Pater: neque Filius ex fluxione Patris est, aut ab genito
Patre genitus: Quare non in hoc generatur ut gignat. Unde
sola in divinitate Pater proprie est Pater & Filius proprie est Fi-
lius: in iisque solis hoc consistit, ut est Pater semper sit Pater &
Filius semper sit Filius. Inde factum esse autumant pleriq;
Veterum Theologorum annotante Petavio T. II. L. V. C. 4.
D. E. quod Apostolus Paulus Paternitatem primum proprie
que in DEO residere scripserit in Epistola ad Ephesios
6. 3. Imò nomen Patris præstantius quodammodo esse,
quam ipsum DEI nomen pulcherrime demonstrat Cyril-
lus L. XI. in C. 17. job. 4. Nomen Patris DEO magis proprie conve-
nit, quam DEI: Hoc enim dignitatis; illud autem Substantiva
Proprietatis notionem continet. Nam qui DEUM dicit, univer-
sorum Dominum indicat: qui autem Patrem nominat, quod ad
propriæ aeternitatis spectabat attingit. Nimirum, judicat Cyril-
lus præstabilius, esse Patrem Filii, ac DEUM esse Crea-
turæ, ac tanto quidem, quantum Filius Creatura est præ-
stantior. Quare judiciose Gwidelmus Parisiensis apud Pe-
tavium l. c. ait: Si quis negaret DEUM creasse Mundum,
non est dubium quin intolerabiliter blasphemaret. Cum
igitur incomparabiliter major sit gloria ipse Filius geni-
tori suo, quam Mundus Creatori, & tanto utique major,
quanto ipsius Filius major est Mundo, à parte incompa-
rabilitatis, nequius blasphemat, qui negat DEUM Pa-
trem genuisse Filium, quam qui negat eum creasse Mun-
 dum.

dum. Hæc omnia huc faciunt, ut appareat, quam vana sit exceptio Theomachorum ad ejusmodi Antiquitatis testimonia respondentium: Tria nomina habes non Trinitatem: Trinitas & Persona, Nicænorum Patrum figmentum sunt. Nam certum quidem est, Ecclesiam invenisse significantes de rebus divinis terminos, non temere, sed cum fundamento in Scripturis; non sua sponte, sed fraudibus hæreticorum coacta: ut haberet *σύνδεσμον πίστεως, & σηλογοφίαν κατὰ τῆς ἀσεβείας*. Verum hæc nomina tibi tria etiam supposita gignunt, ut ex hæcenus dictis patet: Præterea etiam actiones e.g. *ἀρεὴν τὰς ἀμαρτίας τῆ κόσμος* &c. non proprietatibus aut attributis, sed Substantiis sana sic svadente ratione, adscribendæ veniunt.

CAPUT III.

CONFESSIO MARTYRUM

IN SUPPLICIO.

§. I.

ITa Christiani, in abditis interdum Terræ Speluncis, Religiose Sacris operabantur; At crudelis Gentilium immanitas, non modo ex Urbibus & Vicis illos pellere, sed & penitus extirpare anhelabat. Unde ex fuga retracti ad supplicia rapiabantur, nec suppetebat amplius locus, qui commodum miseris, & tutum præstaret refugium. Exhibet nobis tales querelas, vetustissimus Lapis, apud *Aringhbum P. I. R. S. p. 307.* O. TEMPORA. INFAUSTA. QUIBUS. INTER. SACRA. ET. VOTA. NE. IN. CAVERNIS. QUIDEM. SALVARI. POSSIMUS. Non quidem cum Aringho aliisque definire ausim, tantam fuisse Martyrum copiam, ut in singulos anni dies ad triginta millia numerari possint: Multominus fabulosa, defendere unquam in animo habui. Ita quæ de Ursula,

& 11000. Virginum commemorantur à *Johanne Voragine* in *Legenda aurea*, non mihi facile imponunt postquam *Valesiana* docuerunt, fabulam hanc in Scribarum ignorantiam redundare, qui in MSSo Martyrologio inveniunt S. S. Ursula & Undecimilla U. M. i. e. Virgines Martyres, imperitè sane, Ursula & Undecim millia Virginum Martyrum legendum esse censuerunt. Non tamen vereor repetere, quæ *Prudentius* in *Hymno de laude octo & decem Martyrum* canit: *Martyrum semper numerus sub omni grandine crevit* & quæ *B. Gregorius Papa* ait: *Totum Mundum Fratres aspiciat, Martyribus plenus est.* Ipsi enim Gentiles testes omni exceptione majores, & autoritate Ethnicorum incisi lapides multitudinem Martyrum mihi persuadent. Non possum hic prætermittere duas Inscriptiones notatidignissimas quas exhibet *Baronius* in *Annal. ad Annum 304. n. 9.* & ita habent.

DIOCLETIA. JOVIUS. MAXIM.
 HERCULEUS CAESS. AUGG.
 AMPLIFICATO PER ORIENTEM
 ET OCCIDENTEM IMP. ROM.
 ET NOMINE CHRISTIANORUM
 DELETO QUI REMP.
 EVERTEBANT.

II.
 DIOCLETIAN. CÆS. AUG.
 GALLERIO IN ORIENTE ADOPT.
 SUPERSTITIONE CHRISTI UBIQUE
 DELETA CULTU DEORUM
 PROPAGATO.

Qui

Qui plura de multitudine Martyrū desiderat, adeat *Theod. Ruinardi Presb. Congreg. de St. Mauro Acta Sanctorum*, in quibus *Henrici Dodwelli Diss. Cyprianicam XI. de Paucitate Martyrum* refutat. De Cruciatibus autē & variis Suppliciorum generibus conferri possunt *Gallonius, Sagittarius & B. Christianus Kortholtus*. Cæterum utrumque *Græca*, verbis *Eusebii*, Scriptoris fide dignissimi, & Imperatoriis fulti præliis, quantenus illustrari posse existimo. Ita enim *L. VIII. C. 9. H. E.* de Martyribus sub Diocletiano mortem perperis scribit: *Martyres Ungulis toto corpore ad mortem usque discerpti, ac muliercula uno pede ligata, Sublimesque in aera demissis capitibus, ligneo quodam instrumento in altum sublata nudisque ac prorsus intectis corporibus pendentes turpissimum omnibus, atrocissimumque & in humanissimum videntibus Spectaculum præbuerunt. Rursus alii Arboribus ac ramis alligati, vitam reliquerunt. Robustiores enim ramos instrumentis quibusdam in unum contraxerunt, deinde cuiuslibet illorum Martyrum cruxa alligarunt, atque ita eos in suum quemque locum, pro natura sua recurrere permittentem, Subitam membrorum distractionem, ob quam ista excogitarunt, effecerunt. Et hæc omnia fiebant, non paucis tantum diebus aut brevi aliquo tempore, sed prolixo aliquot annorum spatio & aliquando supra decem, aliquando plures, quam viginti occidebantur. Interdum non infra triginta, quandoque & prope sexaginta, rursus interdum centum una die viri cum mulieribus & admodum parvulis variis ac subinde mutatis tormentis traditi condemnabantur. Vidimus autem & ipsi, locis illis constituti, complures uno die cumulatim, alios Capitis truncationem, alios ignis supplicium perpeti, ita ut Licetor gladium suum hebetaret, laborandoque deficeret, ac delassati occisores sibi invicem succederent.*

§. II.

Nemo me longius evagari existimet, quam rei necessitas

C 3

fitas exigit. Ipsa namque veritas pulchrius emicare videtur, cum memori mente recolimus, quibus impetita machinis, quibus asserta Cruciatibus, quamque invicta semper ac salva evaserit. Plurimos ex innumera hac multitudine in arenam deducere possem, qui mirum quantum Confessionem hanc illustrarent: Non tamen plures Ignatio & Polycarpo sistam, cum ex horum constantia de reliquorum fide facile iudicium fieri possit: Præterea etiam ipsorum Martyrio sufficienter edoceamur quodnam dogma Martyres profuso sanguine obfigmare, & in quam Confessione oppetere pulchrum & decorum arbitrati fuerint. Cum Trajanus Victor à Parthis rediisset & Antiochiæ hybernaret, ingens Terræ motus Syriam conquassabat, & Antiochiam ita concutiebat, ut ipse Imperator ægre salvus atque incolumis inde evaderet. Factum itaque ut more solito Gentiles Christianos reos subderent & velut publica flagitia & DEORUM contemtores ad necem undique conquirerent. Si Tyberis non ex alveo exundavit, si Nilus non ascendit in arva, si Cælum stetit, si Terra movit, si famēs, si lues, statim Christiani ad Leones inquit *Tertullian* *Apologetico C.4.* Inter hos cum Ignatius Episcopus esset, Imperatori sistebatur, & fassus, se Christianum esse, juxta rescriptum quod dederat Plinio ProConsuli Bithyniæ renunciendus erat. Quamvis autem Antiochia Civitate Romana donata esset, Trajanus tamen, aut metu tumultus, aut nova Victoria ferox, Civem Romanum ex Provincia Romam mittebat, ut ibidem tanquam in macello celeberrimo publice Bestiis objiceretur. In itinere illo sinuoso & procul dubio jussu Trajani ad frangendam Ignatii constantiam per ambages instituto varias Epistolas ad diversas Ecclesias perscribebat, ut fideles *Ortho-*

Orthodoxa instrueret, & exemplo suo ad constantiam hortaretur. Multa ex iis in rem nostram excerpere possemus: Verum & pauca sufficient in re per se satis nota & cuilibet obvia. In *Epistola ad Trallianos* de hæreticis sui temporis scribit: *DEUM ignotum introducunt: Christum ingentium censent: Spiritum autem non esse profitentur.* Ipsorum etiam quidam, *Filium purum hominem esse inquit, eundemque esse & Patrem, & Filium, & Spiritum S.* Discimus hinc jam olim esse damnatas hæreses, quas Impietas ultimis temporibus denuò ex Orco revocat: Non enim DEUM Scripturis ignotum, sed Patrem qui ab æterno genuit Filium, Filium gloriam de Substantia Patris, Spiritum S. ejusdem cum Patre & Filio essentia, DEUM benedictum in Secula venerabantur. Novi equidem de Authentia harum Epistolarum mirum quantum in Belgio & Anglia inter Presbyterianos & Episcopales dimicatum esse, aliis pro Usserii antiqua interpretatione Latina, & quæ cum hac fere in omnibus amicè conspirat pro Voslii Codice Medicæo Græco, aliis pro *voûta* utriusque strenue decertantibus, cujus rei historiam Lege si placet in *Vindiciis Pearsonii* & in harum defectu in *Cavei Hist. Lit. Script. Eccl.* His nihilominus similia & plane *ὁμοίωτα* legimus in fragmentis Ignatianis, quæ nobis Scriptores præfici fide dignissimi conservarunt. Conf. *Pet. av. in Prolegom. T. II.* Si itaque vel maxime interpolatas esse has Epistolas concederemus (quod tamen dicere, magnorum Virorum, autoritas & expedita *ἁπλοῦς γνησιότης* Epistolarum argumenta me prohibet) nobis tamen de Confessione Ignatii, quam non ex Schola Platonica, aut Philosophorum Gentilium Lacunis, sed limpidissimis Israelis fontibus, ductore Apostolo & Viris Apostolicis hausit, quæque in intensissimo Cruciatuum æstu dulce illi refrigerium præstit, ex fragmentis sufficienter constaret.

§. III.

§. III.

Ignatio adjungimus POLYCARPUM Episcopo Episcopum, qui testante Irenæo *L. III. c. 3.* ea semper docuit, quæ ab Apostolis didicerat, & quæ Ecclesia tradidit, & sola vera sunt. Is cum & puritate doctrinæ & innocentia Vitæ, unus omnium maxime floreret, eaque jam esset ætate, quæ axioma quoddam ex Senio sibi contrahit, factum est, ut Princeps totius Asiæ haberetur, adeoque invalescente sub Marco Aurelio Antonino & Lucio Vero Christianorum Persecutione inter primos publica plebis acclamatione ad necem posceretur. Quanquam itaque suafu amicorum ab Urbe secessisset, & in Rusculo Urbi proximo clanculo ageret: Non poterat tamen res diu celeri, sed per Irenarchæ Satellites protractus, Proconsuli sistebatur, & ter se Christianum esse confessus, cum Asiarcha Philippus editionem muneris sui jam explevisset ad Ignem damnabatur, ut publice in Rogo cremaretur. Jam media in Pyra collocatus cum plane Faces admovendæ essent, hanc Evlogiam depromebat: *Te DEUM laudo, Te benedico, Te glorifico, per æternum Pontificem Jesum Christum Filium Tuum dilectum, per quem Tibi una cum ipso & Spiritu Sancto sit gloria nunc & in futuris Seculorum Seculis. Vid. Eusebius L. IV. H. E. c. 15.* qui hæc ex Epistola Encyclica Smyrnenfium ad Philomelii & cæteras Catholicas Ecclesias missa recenset.

§. IV.

Vetustissimum hoc est Testimonium, quod non modo de Confessione Polycarpi, sed & de Fide Smyrnenfium cæterarumq; Ecclesiarum Catholicarum testatur. Audis sane in hac Evlogia Patri *ὁ ἡμεῖς καὶ οὐαγι μὲν καὶ αἱ* non modo Filium, sed & Spiritum S. æquali ergo adorationis gloria sunt colendi, qui enim inferioris sunt

sunt conditionis illis subnumeratio, qui verò honore sunt æ-
 quales connumeratio competit, utpote quæ ex ὁμοῖα, fluit
 & in divinitate prioritatem τὰ ἔσχατα solummodo admittit. Pa-
 tria cum Polycarpo Auditores ejus docent: *Irenæus, apud Eu-*
sebiū L.V.C. 18. testatur se Polycarpo familiariter usum fuis-
 se, & dogmata, quæ ille in Sermonibus ad Populum ediffere-
 bat, non chartæ, sed Cordi reservanda inscripsisse. Is autem
 non aliquot locis, sed integris Libris hanc Polycarpi Con-
 fessionem confirmat: Pugnât enim in Commentariis suis
 adversus hæreses, tam contra Ἑρμῆς ἑρμῆας, quam contra Judai-
 zantes, remotisq; duobus extremis, unitatem in Trinitate,
 Sancte & pie colendam esse contendit. *Libro IV. c. 8.* à quodam
 dictum commemorat: *Omnia mensura & ordine DEUM fecisse,*
et nihil non apud eum mensum. Imò ipsum Patrem in Filio men-
 suratum. Ad quæ suam Epicuriā addit: *Bene qui dixit ipsum*
immensum Patrem in Filio mensuratum, mensura enim Patris Filius
est, quia & capit eum. Tanta est verborum horum Majestas,
 merito cum *Petavio in Præf. T. II. Dog. Eccl.* dico, & dignitas, ut
 ad commendandam Patris & Filii omni ex parte absolutam
 æqualitatem, instar sint amplissimi voluminis. Nam, si
 immensus est Pater, & infinitus, & hunc tamen capit ac me-
 titur Filius, adæquari hunc cum illo necesse est, ac perinde
 infinitum ac immensum esse; ut cum extra infinitum nihil
 sit, nihil prorsus desit ei, qui mensura est infiniti. Idem etiam
 dogma adstruunt Smyrneses in Epistola citata, quam Ja-
 cobus Usserius cum Actis Ignatianis integram edidit, quæq;
 Valesio adeo placuit, ut eam in Annotationibus suis Euse-
 bianis repeteret. *Cum Apostolis & omnibus justis, scribunt, alacri-*
ter benedicamus DEUM & Patrem omnipotentem, & deniq; nostrum
Christum Salvatorem animæ nostræ, gubernatorem Corporum & Pa-
triformem Catholicæ solius Ecclesiæ, & Spiritum S. per quem cuncta cogno-
scimus.

D

§. V. Quem-

Quemadmodum autem supra Consensus totius Ecclesiae Orthodoxae, cum Confessione Ignatii ostendi potuisset, cum ex Legatione Ecclesiarum & missis Romam Notariis, qui Acta Martyrii ejus stylo persequerentur; tum ex Solemni exceptione fidelium, qua velut ad Triumphum proficiscentem, excipiebant: Ita etiam Ecclesiam Smyrnensem & Polycarpum cum Occidentali Ecclesia consensisse, ex itinere Polycarpi Romam suscepto comprobari potest. Refert *Irenaeus apud Eusebium L.V.C.23.* Polycarpum Romae sub Aniceto egisse & propter minuta quaedam ab illo discrepasse, mox tamen concordiam iniisse, ita ut inter se communionem haberent, & Anicetus Polycarpo Evcharistiam propter reverentiam concederet. Notum autem est Episcopos, quibus cura Ecclesiarum demandata erat, haereticos in communionem non admisisse, sed studiose devitasse illorum consortium. Ita legimus apud *Eusebium L.V.C.25.* Victorem, Theodotum Coriariam, Ducem ac Patrem Apostasiae illius quae Divinitatem Christi negabat à communionem rejecisse, eo quod Christum nudum hominem crederet. Quare ut Orthodoxum dilexit Ecclesia Romana Polycarpum, & jam tum ex Senio venerabilem in propria Ecclesia Evcharistiam administrare permisit, quem ab his Sacris sine dubio removisset, nisi pari Pietatis affectu divinae Veritati addictus fuisset. Cumq; perpetuus hac ratione & universalis fuerit Ecclesiae Primitivae in hoc Fidei Articulo Consensus, vere scripsit *Irenaeus L.I.C.2. Ecclesia per universum Orbem usq; ad finem Terrae fere seminata, & ab Apostolis & à Discipulis eorum accepit eam fidem, quae est in unum DEUM Patrem omnipotentem, qui fecit Caelum & Terram, Maria & omnia quae in eis sunt, & in unum Jesum Christum Filium DEI incarnatum in nostram Salutem, & in unum Spiritum S. qui per Prophetias praeedicavit dispositiones Dei.*

Hic finem labori imponere constitueram: Quoniam tamē beatissimos Martyres, tanquam Triumphatores à longinquo secuti sumus: Fora Cryptæ & Amphitheatra, certæ quali Stationes in Via triumphali erant, per quam in æternam Urbem, Cælestem Hierosolymam ingressi sunt: Idcirco non possum, quin etiam mentionem injiciam devictorū hostium, quos Victores felicissimi gloriose triumpharunt. Solenne erat Romanis ut Triumphantem tituli devictarum gentium, Duces exercituum hostilium, & Exuvia sub jugum missorum Populorum comitarentur. Comitentur itaque & nostros Heroes, impietatis autores, quos Sathanas, tanquam audacissimos duces multiplici agmine, pros lacessere fecit, quosque omnes Confessione sua, ex Panoplia Spiritus S. constructa, fortiter debellarunt. Hostes illi præcipue Ethnici erant, qui aperto Marte contra veritatem depugnabant, & externorum hostium nomine nobis veniunt: Longe periculosiores erant hostes interni, dedecora Matris Ecclesiæ, e cujus Sinu egressi Veritatē divinitus revelatam, errorum lenocis adulterare conabantur. Horum duæ potissimum constitui possunt Classes: Prima illorum, qui essentia divina unitatem impugnabant, quibus annumeres partim Manetem, Cerdonem & Marcionem, qui Philosophia Pythagorica Seducti, duo principia summa statuebant partim Gnosticos, qui ex male intellecta Platoniorum doctrina de Æonibus eorumque Syzigis triginta plures DEOS fomniati sunt.

Altera illorum qui Personarum Trinitatem inficiabantur, quique in quatuor iterum cohortes distingui possunt.

Est eorum qui Christum DEUM negabant, ut EBION & CERINTHOS, THEODOTUS, ARTEMON, PAULUS SAMOSATENUS.

II. Qui Christum quidem DEUM fassi sunt, pro nobis etiã passum esse ultro largiebantur, tres tamen in Divinã essentia hypostasas admittere volebant, quod Patrem, Filium & Spiritum S. unam Personam esse crederent. Quare Patropasiani appellati sunt, ut Praxeas, Noëtus & Sabellius: dogma autem illorum communiter, damnabilis Pentapolitana hæresis audit: Quia ex Pentapoli Lybiæ oriundus erat Sabellius.

III. Qui Christum DEUM quidem fatebantur, Trinitatem etiam concedebant, τὸ ὁμοούσιον autem impio ausu blasphemabant, ut Arians, Arianorumque diversæ Species.

IV. Qui Patris & Filii Deitatem admittebant, consubstantialitatem verò Spiritus S. negabant, ut Macedonius, & ejus Asclepiæ Pnevmatomachi dicti. De quibus tamen notes, quod paulo post æram Martyrum surrexerint.

§. VII.

Hos hostes omnes Confessione sua tanquam evaginato gladio jugularunt Martyres, & de infidiis animæ intentatis, illuso omni Stratagemate in morte ipsa feliciter triumpharunt. Vos itaq; qui ignotum DEUM introducitis, & partum Virginis calumniis proscinditis, qui Christum ingenitum & merum hominem esse dicitis. Spiritum S. verò figmentum esse existimatis. Vos inquam æternæ Majestatis rei discite Confessionem gloriosorum Testium & fidem quam tot millia Confessorum Sangvine suo confirmarunt, tam seriæ rei commoti Spectaculo in Scripturis, genuinis Veritatis fontibus inquirete. Ne quam illi in media belli tribulatione custodiverunt, vos in Pace vel Pacis Securitate spernatis, ne anchoram Spei ac Religionis, quam illi servarunt in fluctu, protervè in Portu abjiciatis, & ita ut PATREM, qui solus verus DEUS est, & Jesum Christum quem misit Filium rectè colere discamus.

SALUS ET GLORIA ET HONOR ET VIRTUS, DOMINO DEO NOSTRO!

HALLELUJA!

01 A 6592

ULB Halle 3
003 106 357


Vs 17
1380.







40

CONFESSIO MARTYRUM
DE
MYSTERIO SA-
CRO SANCTAE
TRINITATIS,

Veterum monumentis
succincte illustrata

Per

M. PAULUM BORNAGIUM,
Filcaviens. Pannonium.

WITTENBERGAE,
Typis MARTINI SCHULTZII, Acad Typogr.
M. DCCI.

B36

